

Universi 30. August. 1622, quamvis Cardinal. Albitius tract. de Inconstan. in fide par. 1. cap. 15. asserat d. Constit. quoad hanc pœnam non fuisse usu receptam. Item furtum sacrilegum SS. Eucharistiæ, sive quis cum sacra pixide, sive sine illa sacram Hostiam surripiat, et præsumat apud se retinere, aut alio transferre ex Constit. Innoc. XI et Alexand. VIII, confirmatis à Benedicto XIV. Constit. *Ab augustissimo* 5 Mar. 1744. Item abortus fœtus animati, sive quis eum procuraverit per se, sive per alium, ex Const. Sixti V. *Effrenatam* juxta moderationem factam à Gregor. XIV. Const. *Sedes Apostolica*: cum Sixtus hanc pœnam extenderit etiam ad fœtum inanimatum.

Ab aliquibus recensetur etiam inter crimina degradatione digna maleficium seu sortilegium, ex quo unius aut plurium mors sequuta comprobetur ex Constit. Greg. XV *Omnipotentis* 20 Martii 1623; verum perperam, cum d. Const. non loquatur de degradatione, ut observat Card. Albit. loc. cit. c. 32. n. 150. Item polygamia, cum quis, nempe falsum profesus nomen et agnomen, uxore vivente, aliam duxerit ex Const. Urban. VIII. *Magnum* 20 Jun. 1637; sed neque in ista degradationis mentio ulla fit, ut animadvertit Bened. XIV de synod. diac. l. IX. c. 6. n. 7. et seqq. "

3.^o Degradatio clericorum facienda est à proprio Episcopo: si verò clerici et religiosi exempti sunt, à Papa (*Can. 5. 7. caus. 3. q. 6. Trid. sess. 13. c. 4. de reform.*) Plerique tamen prælati regg. habent privilegium degradandi suos religiosos. Compend. Privileg. Societ. Jesu v. *Prelatus*.

4.^o Forma degradationis verbalis de jure antiquo *Can. 5. et seqq. 15. q. 7. et c. 2. h. t. in 6.*, in eo consistit, ut Episcopus coram 12 Episcopis, presbyter coram 6, Diaconus et subdiaconus coram 3 Episcopis: minorista verò coram Episcopo et capitulo cathedrali sententialiter degradetur. At de jure novo *Trid. cit. S. 13. c. 4. de reform.*, si tot Episcopi haberi nequeunt, sententialis degradatio, etiam presbyteri, fieri potest coram totidem Abbatibus usum mitræ et baculi habentibus, Episcopo vel ejus Vicario generali assistentibus: vel si nec hic commodè interesse possunt, coram *aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves ac juris scientia commendabiles existant*: ibid. Porrò assistentes isti in judicio degradationis habent votum decisivum; et probabilius sententia eorum debet esse concors, et non tantum à majori parte (*c. 3. de sent. e. re jud.*) Nam factum *concorditer* opponitur facto à majori parte (*c. 30. de elect.*), maxime in hac materia criminali, ut non sit locus *arg. à sensu contr.* ex *Can. 1. si quis 6. q. 4.* Quia verò circa degradationem minoristarum non est tantus rigor juris, sufficit sententiam ferri ex voto majoris partis.

5.^o Forma degradationis realis traditur in Pontificali remano, ut scilicet fiat ab Episcopo consecrato proprio, vel alio consecrato deputato (*c. 2. h. t. in 6.*), et præsentate judice seculari, clerico vestibus sacris induto, gradatim ipsæ vestes sacræ usque ad cottam inclusivè auferantur; et deinde reus judici seculari tradatur cum seria protestatione et

intercessione pro reo, ut citra mortem puniatur (*c. 27. de V. S.*) Si tamen talis intercessio omitteretur, Episcopus non fieret irregularis, cum id nullo jure caveatur, neque omissio intercessionis sit cooperatio ad necem.

6.^o Judex secularis, extradito sibi reo, non potest cognoscere de valore degradationis, neque de crimine fori Ecclesiastici, uti est hæresis, simonia, sacrilega missæ celebratio etc.; cum cognitio ista sit actus jurisdictionis spiritualis, qua laicus caret. At si crimina sint mixti fori, ut assassinium, sodomia, homicidium etc., si laicus non vult stare processui judicis Ecclesiastici, potest novum processum instituere, degradatum, si opus est, pro elicienda veritate torquere, et prout probationes suadebunt, reum vel condemnare ad mortem, vel ad pœnam aliam mitiorem, præsertim, si princeps gratiam reo faciat.

§. III.

De pœnis temporalibus utriusque fori.

212. Pœnæ propriæ fori civilis sunt: ultimum supplicium et mutilatio, ad quas judex Ecclesiasticus condemnare nequit: secus efficitur irregularis (*c. 5. ne clerici.*) Ceteræ pœnæ ferè omnes sunt mixti fori, ut infamia, confiscatio bonorum, flagellatio, exilium etc.

213. Q. I. *Quid juris circa infamiam?*

R. 1.^o Infamia est, privatio bonæ famæ et existimationis. Est duplex: *infamia facti*, quæ ex pravis moribus oritur, et per emendationem aboletur (*l. 2. C. de dignitat.*) *Infamia juris*, quæ auctoritate juris ob turpe crimen infligitur, tribusque modis contrahitur: *ipso jure*, dum jus ante ullam sententiam aliquibus delictis annectit infamiam, ut crimini læsæ majestatis, hæresi, usuris, lenocinio etc., modò crimen sit notorium; *sententia judicis*, dum judex ob certa delicta infamantia condemnat reum, ut de rapina, furto, calumnia, prævaricatione, de dolo in tutela, deposito etc.; *genere pœnæ*, dum quis ignominie causa ab officio amovetur, ut à militia, dignitate, vel condemnatur ad pœnam infamantem, ut deportationem, fustigationem etc. Delicta et causas, ex quibus infamia nascitur, vide *tit. ff. de his, qui notant. infam. tit. C. ex quib. caus. infam. irrog.*, et *Can. 2. infames. §. porro infam. 3. q. 7.*, et *Can. 17. infam. 6. q. 7.*

2.^o Pœna infamie juris facit reum irregularem, privat et removet ab honoribus, dignitatibus, actibus legitimis et officiis publicis, ut judicis, advocati etc. (*c. fin. d. 51. c. 2. infames 3. q. 7.*), et à nullo, nisi principe tolli potest (*Can. 7. §. hinc colligitur 2. q. 3. l. 6. C. ex quib. caus. infam. irrog.*)

214. Q. II. *Quæ pœnæ, præter infamiam, à judice Ecclesiastico infligi possint?*

R. 1.^o Pœna pecuniaria, non Episcopo aut mensæ capitulari, aut officialibus Episcopi, sed piis locis applicanda (Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de refor.*), et consuetudo in contrarium videtur esse corruptella, et bonis moribus adversa; quia intuitu pecuniæ avaritia fovetur, pœnæ efficaciores negliguntur, et emendatio seria non procuratur. Secus evenire solet, si juxtâ saluberrimum præceptum Trid., pœna delicto debita commutetur in eleemosynam piis locis et pauperibus distribuendam. —2.^o Pœna confiscationis bonorum (*c.* 19. *de Hæret. in* 6.), et quidem si bona sunt Ecclesiastica, applicantur Ecclesiæ; si patrimonialia, cedunt fisco Ecclesiastico: et alicubi fisco seculari, sicut alia bona secularia. —3.^o Verberatio et flagellatio clericorum, attamen citra mortis et mutilationis periculum (*Can. fin. d.* 35.) Sed hæc pœna, uti et detrusio in arctum monasterium, exolevit. —4.^o Carcer est frequens pœna clericorum et Regularium (*c.* 3. *h. t. in* 6.); cum enim Ecclesia non possit infligere pœnam mortis, utitur carcere pro malefactoribus, honesto tamen, lucido et decenti pro personis sacris: de quo plura vide in mea *Epitome judic. sum.* §. 7. —5.^o Exilium seu relegatio, quam infligere potest Episcopus pro sua diœcesi, et Archiepiscopus pro sua provincia (*Can.* 8. *d.* 45. et *Canon.* 13. *in fin.* 16. *q.* 5.): quamvis autem Gloss. in *cap. 2. in fin. de Cler. eacom. v. regis judicio* sentiat ab Episcopo non posse imponi tale exilium, quod patriæ, ac civitatis jurius privat; id tamen non procedit, nisi respectu clerici degradati, de quo sermo est in *cit. c.* 2.; alioquin Ecclesia non solum mediam, sed et maximam capitis diminutionem infligere potest, v. g. revocando clericum ingratum in servitutem (*c.* 3. *de serv. non ordin.*) Pœnæ apud Regulares usitatæ, hauriendæ sunt ex statutis cujusque Ordinis.

215. Q. III. *Quæ pœnæ sint in foro seculari?*

R. 1.^o Capitales, quæ mortem naturalem aut civilem inferunt: ut gladius, laqueus, rota, ignis, scissio in partes, submersio in aquis, et olim crucifixio (*l.* 28. §. 15. *l.* 38. §. 1. et *seqq. ff. h. t.*) Maxima capitis diminutio per servitutem, uti et media per amissionem civitatis, cui hodie æquivalet proscriptio seu bannitio ex Imperio aut regno, damnatio ad triremes. —2.^o Non capitales sunt, inustio stigmatis, exoculatio, amputatio linguæ, manus et aliorum membrorum, statio ad numellas, relegatio, confiscatio, multa pecuniaria et aliæ plures, de quibus videri potest Carpzov. in *Practic. crim.* Carcer tamen de jure civ. non est propriè pœna; *l.* 8. §. 9. *ff. h. t. ibi: Carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.* Idem statuitur *lib.* 6. *C. eod.*, et *l.* 5. *C. de custod. reor.* Jura romana vide *tit. ff. et C. de poenis.*

216. Q. IV. *An hodie bona damnatorum publicentur?*

R. Negativè, sed relinquuntur descendentibus vel ascendentibus, ex *Nov.* 134. *c.* 13. *in fin.*; et quidem usque ad tertium gradum: secus cedunt fisco ex Jure antiquo. Vide *tit. ff. et C. de bonis damnator.*

* Ex Const. Bened. XIV. *Rerum humanarum* 16. Decemb. 1746. pro reformatione tribunalium urbis, ab initio inquisitionis damnatorum faciendâ est descriptio bonorum eorumdem, tam mobiliæ, quàm im-

mobiliæ, inserenda in processu et Commissario Camerae Apostol. intimidanda, ut eadem Camera post eorum condemnationem repetere possit viatica aliasque expensas: quæ descriptio, si neglecta fuerit in commissionibus tribunalis Vicarii et Auditoris Camerae, judices et notarii nihil pro viaticis et cibariis à d. Camera Apostolica repetere possunt. **

217. Q. V. *Qui sint interdicti, relegati et deportati?*

R. *Interdicti* sunt, quibus certus locus prehibetur: *relegati*, quibus integra provincia vel regnum prohibetur: *deportati*, quibus præter relegationem insula seu certus locus assignatur, è quo egredi eis non licet (*l.* 7. *pr. ff. de interdictis, et releg.*) Deportatus patitur mediam capitis diminutionem; atque ita amittit civitatem, ejusque jura: libertatem tamen retinet, et consequenter acquirit sibi, licet moriens fiscum relinquat hæredem (*lib.* 15. *ff. eod.*) Si interdictus violet suam pœnam, punitur relegatione; relegatus deportatione; et deportatus ultimo supplicio. —Vide *cit. tit. ff. de interd. et releg.* ubi etiam *lib.* 7. *f.* 20. reperies interdictum pœnale, seu quamdã civilem irregularitatem, ne quis ad honores promoveatur.

218. Q. VI. *An sententiam passi restitui possint?*

R. Possunt, sed à solo principe, qui non ligatur sententiis suorum inferiorum (*lib.* 7. et 10. *C. de sententiam passis. et rest.*), dummodò nullum sequatur præjudicium partis (*Can.* 10. *denique* 40. *q.* 5.) Porro restitutio ista fieri potest duplici modo: —1.^o *Imperfectè et extra ordinem*, dum solus reditus in patriam conceditur (*l.* 2. et *seqq. C. eod.*) —2.^o *Perfectè et pleno jure*, dum à principe non tantum reditus in civitatem conceditur, sed omnia priora jura, bona, dignitates, honores, actiones reales, non tamen personales, quæ censentur extinctæ per deportationem. Hac plena restitutione facta, redit patria potestas, testamentum deportatione irritum convalescit, non secus ac jure postliminii; ea tamen, quæ tempore intermedio à filio gesta sunt, rata manent, quia filiusfam. pro eo tempore censetur esse paterfam. seu homo sui juris (*l.* 1. §. *fin. C. h. t.*) Eadem proporcionaliter observantur in foro Can., si Papa ex urgentissima causa clericum aut religiosum plenissimè restituat in omnia priora jura. Et hæc de restitutione gratiosa per viam indulgentiæ. Si verò restitutio sit justitiæ, quia innocens condemnatus est, v. g. ad deportationem, tunc prorsus omnia redintegrandæ sunt, etiam alienata, cum suis fructibus; quia in his initium vitiosum fuit, ob quod cetera non subsistunt. Cetera vide in *textu tit. ff. et C. de sententiam passis et restitutis.* An cadavera punitorum manere possint insepulta, an verò tradenda sepulturæ Ecclesiasticæ, dixi *tit. de sepultur.* —Vide *tit. ff. de cadaverib. punitor.*

TITULUS XXXVIII.

DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS. ^a

219. Post pœnas in foro externo, agitur hic de pœnitentiis in foro interno: et quia pœnitentiæ istæ solent quandoque relaxari, additur altera pars rubricæ de *Remissionibus*. Est autem pœnitentia: satisfactio condigna pro peccatis imposita: vel *publica* pro peccatis manifestis (*c. 1. h. t.*), vel *privata* pro peccatis occultis. Rursus publica est duplex: *solemnis*, quæ olim imponebatur ab Episcopo initio quadragesimæ pro delictis toti reipublicæ noxiis et scandalosis, ratione quorum pœnitentes fiebant infames, ut ordinari non potuerint (*c. 15. de privil., Can. 64. et seqq. d. 50.*); *non solemnis*, quæ etiam à presbytero imponi potuit pro delictis publicis, non tamen reipubl. ita noxiis, eamque peragentes non fiebant infames.—*Remissio* hic est relaxatio pœnarum temporalium, quæ hodie fit per Indulgentias ex thesauro Ecclesiæ per applicationem meritorum Christi, Sanctorum (*Extrav. 1. h. t. int. com., Trid. sess. 25. in decr. de Indulg.*) Est autem Indulgentia varia:—1.º Pro *vivis* per modum absolutionis: et pro *defunctis* per modum suffragii seu solutionis.—2.º *Personalis*, quæ directè datur personis: et *realis*, quæ dependentè à re aliqua, vel loco conceditur: ut si Indulgentia affixa sit Ecclesiæ, altari, numismati etc.—3.º *Perpetua*, quæ semper durat, nisi revocetur: et *temporalis*, quæ ad certum tempus durat.—4.º *Plenaria*, quæ totam pœnam peccatis debitam remittit: et *partialis*, quæ partem pœnæ remittit; vel indeterminatè, ut tertiam partem; vel determinatè, ut pœnam 10 annorum, 40 dierum etc. *Carena* est: pœnitentia sustinenda per jejunium in pane et aqua per 40 dies. *Quadragesima* est pœna per quadragesimam sustineri solita. Quæ pœnitentiæ si relaxentur, dicitur indulgentia *carenae* vel *quadragesimæ*, unius vel plurium.

220. Q. I. *An confessio sacramentis sit in præcepto?*

R. 1.º Affirmativè, ut scilicet omnis utriusque sexus fidelis in peccatum lapsus, saltè semel in anno confiteatur, et ad minùs in Pascha Eucharistiamumat: secùs præcepta ista negligentes, vivi ar-

^a—Agitur de hac materia in Sexto, Clementin. et Extrav. com. *h. t.*—In Decreto 33. q. 2. et q. 3. in *Tract. de poenitentia per 7 distinct.*—In Trid. sess. 14. de *sacram. poenit.* et sess. 24. c. 8. de *ref.*—Item Theologi fuse agunt de poenitentia, ut est virtus, et ut est sacramentum, ad quos pro doctrina ista te remitto.

cendi sunt ab ingressu Ecclesiæ, et mortui à sepultura Ecclesiastica: ità Innoc. III. in Conc. Later. relato *c. 12. Omnis h. t.*, ubi determinatur præceptum divinum, quo fidelis obligatur per confessionem se reconciliare Deo, et manducare Corpus Christi. Idem confirmat Trid. sess. 14. c. 5. et *Can. 8. de sacram. poenitent.* Non satisfit autem huic præcepto per sacrilegam confessionem et communionem: et oppositam propos. n. 15. damnavit Innoc. XI. Neque ab ejus observantia excusantur peccatores publici, ut meretrices, usurarii etc.: quòd verò pœnæ executioni non dentur, id fit causa majoris mali evitandi.

Neque satisfacit, qui Eucharistiam sumit à Regularibus intra dies à dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusivè: et his, non obstantibus ipsorum privilegiis, prohiberi potest, ne eam admittrent secularibus personis in die Paschatis, licèt hæ satisfecissent eidem præcepto in Ecclesia parochiali; non autem in aliis diebus intra dictum tempus interclusis, in quibus tamen Eucharistiam sumentes ab eisdem non satisfacerent præcepto, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relat. à Bened. XIV. de *synod. dioc.* lib. IX. cap. 6. n. 4. et 5.; ac in *Theol. resol.* in Suessona 3 Decemb. 1735. tom. 7. pag. 161. et 18. "

2.º Mulieri, quæ ex adulterio prolem suscipit, vel alienum partum supposuit, si ex metu gravis mali nolit delictum manifestare, non est deneganda pœnitentia: ità decidit Innoc. III. (*c. 9. h. t.*); nam cum tanto periculo famæ et vitæ mulier non tenetur damnum alienum, utpotè minùs avertere sicut fur, qui rem sine majori suo periculo restituere nequit, deobligatur à restitutione.—Excipe, nisi uxor aliàs sit malæ famæ, de adulteriis graviter infamata; vel si ex non revelatione majus sequeretur, ut si hæreticus succedere deberet in regno etc.; regulariter verò bonum vitæ et famæ, cujus periculum uxori et proli imminet, prævalet bonis fortunæ, utpotè ordinis inferioris.

Ex bonis Constitutionibus Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentia* 1. Junii 1741, et *Apostolici muneris* 3 Februarii 1745:

I. Reservatur summo Pontifici facultas absolvendi calumniantes, vel per se ipsos, vel per alios, de sollicitatione confessarios, excepto mortis articulo.

II. Sublata est ipso jure cuicumque confessario, etiam tempore Jubilæi, aut in vim Bullæ cruciatæ, sive alterius indulti, confessiones audienti jurisdictio absolvendi complicem in peccato contra sextum decalogi præceptum sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ incurrendæ, etiamsi complex reperiretur in mortis articulo; quando tamen absque illius infamia vel scandalo, et quidem non conficto, haberi potest alius sacerdos, qui illius confessionem exciperet. Complex verò in hujusmodi articulo constitutus, etiamsi alius sacerdos haberi potuisset, et ob confessarii complicis malitiam adhibitus non fuisset, remaneret validè absolutus.

III. Ex decreto Cong. sacræ Inquisitionis 5 August. 1745., coràm eod. Bened. XIV. et ab ipsomet confirmato, ac relato in appendice

tom. 2. ejus Bullar. num. 8., confessarii tam seculares, quàm regulares eujuscumque Ordinis et Instituti, *vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut prætextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas contra sollicitantes et sacrilegos jam alias statutas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrunt ad præfati sacrificii celebrationem.* Hæc tamen pœna non habet locum in casibus occultis.

IV. Ex constitutionibus ejusdem Pontificis *In suprema et Ubi primum*, editis pro regnis Portugaliæ et Algarbiorum, deinde ad universum catholicum orbem extensis Constit. *Ad eradicandum*, peccat lethaliter confessarius exquirens nomen et habitationem complicitis, cum quo pœnitens peccatum perpatravit, etiam prætextu procurandæ illius correctionis, aliorumque bonorum colligendorum: multòque magis si denegat absolutionem, quando pœnitens ejusdem complicitis nomen renuat revelare. Ob quod denegatæ absolutionis crimen, nedum suspensioni ab audiendis confessionibus decernitur subjiciendus, sed etiam Sac. Inquisitioni intra terminum dierum in illius edictis præfixi solitum, et sub pœnis contra non denunciantes per eadem edicta infligi consuetis, denunciandus, et ab Inquisitoribus prout in causis fidei puniendus, *dummodò tamen hujusmodi interrogandi ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit ac convestitus, quæ sic agentem confessarium de adhesionem ad prædictam reprobam praxim, de expetendo nempe complicitis nomine, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant*; à quo tamen onere eximitur pœnitens in causa propria, nisi aliunde quàm ex propria confessione, novit dictum confessarium *aliquo ex superius enumeratis, et S. Officio denunciandis modis deliquisse*: tunc enim, et ipse denunciare teneretur. "

3.º Egroti obligantur confiteri, et viaticum sumere; nam in periculo salutis constituti sunt; idè omni meliori modo tenentur salutem suam assecurare. Unde juxta *c. 31. h. t.*, medicus non admonens ægrum de confessione, arcetur ab ingressu Ecclesiæ, donec competenter satisfaciatur: et quidem ex Const. S. Pii V. *Super gregem* 1566, 8. Martii, ubi est usu recepta, si æger tertio die non confiteatur, medicus non debet eum visitare.

Hac de causa Romæ ex decreto Sac. Cong. Visit. Apostol. jussu Urban. VIII. edito 10. Jul. 1625. præcipitur (ut alibi præcipi etiam solet), quibuscumque confessariis tam secularibus, quàm regularibus, sub pena suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incurrendæ, *ut statim in domo infirmi fidem auditæ confessionis proprio parochi et medico supervenientibus dimittere teneantur.* Et hic notandum, quòd si confessarius ab Episcopo jam approbatus, sit secularis, infirmi confessionem audire nequeat sine licentia parochi ejusdem infirmi: si verò regularis sit, itidem ab Episcopo approbatus, satis sit, ut dictam tantùm fidem relinquat ex decreto Cong. Conc. 14 Decemb. 1658 relato à Bened. XIV. lib. IX. *de synod. dioc.* c. 17. n. 9., quo decreto

idem Pontifex refert ita temperatam fuisse synodalem Constitutionem ejusdem Episcopi adstringere volentis confessarios regulares ad parochi licentiam obtinendam. "

Imò, ubi piana Const. usu recipitur, non videtur æger totaliter à medico deferendus, si obstinatè nolit confiteri, et sine gravi periculo deseri non possit, ne utraque morte pereat; quia convalescens respirare poterit. *Thesaur. de pœnis verb. Medicis* c. 1.

Circa medicos vide notata in sumariis post *c. Cum infirmitas* 13.

An verò teneatur parochus Viaticum deferre illi, qui manè sanus Eucharistiam sumpsit, et eodem die in morbum periculosum incidit, est hinc inde opinio æquè probabilis; ideoque idem Bened. lib. VII. *cit. synod.* cap. XI. n. 2. infert, *integrum esse parochi eam sententiam amplecti quæ sibi magis arriserit.* "

221. Q. II. *Quales pœnitentiæ hodie sint injungendæ?*

R. 1.º Solemnes pœnitentiæ hodie non sunt in usu: imò nec olim imponi poterant clericis, nisi depositis sine spe restitutionis (*Can. 2. de pœnitent. dist. 6.*); sed si peccata sunt publica, imponitur publica pœnitentia: attamen moderno statui accommodata (*c. 1. h. t.*), ut ita delinquentes emendentur, et alii eorum exemplo terreantur. Unde pœnitentiæ in canonibus pœnitentialibus dictatæ hodie non imponuntur, sed aliæ arbitrariæ (*c. 8. h. t.*), licet sacerdos pœnitentibus aperire possit, quantam pœnitentiam secundum rigorem Ecclesiæ sustinere deberent: sic pœna 12 annorum pro occisore sacerdotis statuta (*c. 2. h. t.*) commutata est in excommunicationem et irregularitatem ipso facto incurrendam.—2.º Pœnitentia minor imponi potest, si eo die occurrat aliqua Indulgentia, præsertim plenaria; dummodò pœnitens ad eam lucrandam necessaria præstet.

222. Q. III. *Quis, cui et ex qua causa concedere possit Indulgentiam?*

R. 1.º Concedere Indulgentias plenissimo jure potest Papa (*Extrav. 2. h. t. int. com.*)—2.º Episcopus, sed limitatè secundum modum Conc. Later. *c. 14. h. t.* in dedicatione Ecclesiæ potest concedere Indulgentiam unius anni, et in anniversario dedicationis, ac etiam in aliis casibus et rationabilibus causis 40 dierum (*cit. cap. 14.*) Et quamvis plures Episcopi dedicarent eandem Ecclesiam, modum istum excedere non possunt (*c. fin. h. t. in 6.*), neque Archiepiscopus per provinciam suam Indulgentias concedens (*c. 15. h. t.*)—Quam facultatem, utpotè jurisdictionis et non Ordinis, delegare etiam possunt simplici clerico; non autem laico.—3.º Legati Sedis Apostolicæ et S. R. E. Cardinales ex consuetudine in Ecclesiis suorum Titulorum 100 dierum Indulgentias concedere possunt. De reliquis prælatis nihil habetur, speciale eis competeret ex privilegio.

Quamvis, sede Episcopali vacante, tota Episcopalis jurisdictio transeat in capitulum, et per hoc ad Vicarium capitularem, ac potestas concedendi Indulgentias pertineat, non ad Ordinem, sed ad jurisdictionem, non tamen sequitur Vicarium capitularem eas concedere pos-

se, quidquid pro theoria in contrarium senserint DD. relati à Benedicto XIV. de Synod. diœc. lib. II. c. 9. n. 7., stante decreto Cong. Conc. 13 Novemb. 1688. ibidem relato, quo statuit, ut se in praxi ab his concedendis abstineret: et meritò quidem, cum hæc potestas sit cujusdam extraordinariæ jurisdictionis, soli dignitati Episcopi annexæ ex claro textu cap. *Accedentibus* 12. de excess. Prælat.

Ex Constitut. Bened. XIV. *Pia mater* 5 Apr. 1747, Episcopus, aliusque inferior prælatus territorium separatum habens (servatis tamen ab hoc conditionibus in Bulla præscriptis) impertiri potest, vel per se, vel per alios sacerdotes, tam seculares, quàm regulares, benedictionem cum Indulgentia plenaria constitutis in mortis articulo, cum conditione, ut hi tamquam opere injuncto ad eam acquirendam, mortem libenter acceptent in spiritu resignationis ad divinam voluntatem: cum facultate insuper quoad Episcopos, eandem impertiendi moniali morituræ, secum comites adhibendo in ingressu confessarium ordinarium monasterii, aliumque sacerdotem ipsorum arbitrio eligendum: ac præterea si per se id præstare nequeant, subdelegandi ad dictum effectum præfatum confessarium. Hæc autem facultas ab Episcopis, dictisque inferioribus prælatis semel ab Apostolica Sede concessa, durat ad ipsorum usque obitum; et non ad triennium tantum, ut olim concedi consueverat. Ab Episcopis tamen auctoritate Papæ ad aliam cathedram translatis denuo obtineri debet. "

2.^o Indulgentia datur subjecto capaci, scilicet baptizato, non excommunicato, et subdito (*c. 4. h. t.*), ex parte cujus requiritur, ut impleat opera præscripta, et saltè ultimum opus jungatur cum statu gratiæ. Intentio formalis non requiritur, sed sufficit habitualis et interpretativa. Incipiunt autem Indulgentiæ pro aliqua festivitate concessæ à primis vespertis, et durant usque ad occasum solis sequentis diei.

3.^o Ad concedendum Indulgentias requiritur justa causa; secus invalida est concessio (S. Th. in suppl. q. 23. ar. 2.). Nam Papa non est dominus, sed dispensator thesauri Ecclesiæ: dispensator autem sine justa causa validè non dispensat, sed dissipat; et ideo Innoc. III. *c. 4. h. t.*, reprobatur Indulgentias *indiscretas et superfluas*. Justæ causæ: exaltatio Ecclesiæ, extirpatio hæresum, conversio infidelium, reformatio morum, concordia principum christianorum, sunt, excitatio ad studium devotionis, remuneratio meritorum et obsequiorum etc.

223. Q. IV. *Quid sit jubilæum in lege nova?*

R. 1.^o Est annus gratiæ visitantibus limina Apostolorum Petri et Pauli concessus, cum plena peccatorum et pœnæ pro his debitæ remissione, aliisque favoribus in bulla Jubilæi expressis, uti sunt: potestas absolvendi ab omnibus peccatis et censuris Papæ aut Episcopo reservatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, nisi exprimentur, præsertim hæresis: item facultas commutandi et dispensandi vota, exceptis reservatis perpetuæ castitatis et religionis, et triplicis peregrinationis, nisi aliud exprimat etc.—2.^o Jubilæum olim concedebatur centesi-

mo quoque anno, deinde 50.; hodie ex Const. Pauli II. anno XXV seu intra 25 annos, *Extrav. 1. 2. h. t. int. com.* incipitque à primis vespertis Nativitatis Christi usque ad vespertas secundas ejusdem festi anni sequentis: et toto illo tempore aliæ Indulg. vivorum suspenduntur; nisi aliud ex privilegio habeatur, vel Indulgentiæ vivorum à Papa commutentur in Indulgent. mortuorum.—3.^o Ad lucrandum Jubil. præstanda sunt opera in Bulla præscripta, intra tempus ibid. assignatum; estque securiùs eadem septimana omnia opera præstare. Plura de Jubilæo vide in Salmant., Gobat.

Et novissimè insignem tract. de Jubil. P. Theodori à Spiritu Sancto Carmelitæ excale. "

224. Q. V. *Quid dicendum de Indulgentia pro defunctis, Altaribus privilegiatis affixa?*

R. 1.^o Applicare Indulgentiam defuncto per modum suffragii est designare unum defunctum, cui Papa tribuat ex thesauro Ecclesiæ satisfactionem Deo pro illius peccatis offerendam.—2.^o Ut applicatio ista et Indulgentia sit secuta, observandæ sunt conditiones in privilegio expressæ, scilicet, ut altare sit designatum, et simile in eadem Ecclesia non habeatur, licèt non obstet, quod habeatur altare alio modo privilegiatum, v. g. unum pro quibuscumque fidelibus, alterum speciale pro fratribus certæ Congregationis ex decreto S. Cong. Indulgent. 13 Jun. 1676. et confirmato ab Innocent. XI 16 Martii 1677. et in isto altari die designata sacerdos missam legat: et quidem, de *requiem*, si dies non sit impedita festo duplici; alioquin sufficet legere missam de Sancto, ex Const. ejusdem *Alias* 4 Maji 1688.—3.^o Illa conditio *dummodò in ea Ecclesia septem* (vel quot exprimentur) *Missæ quotidie celebrentur*, tutissimè intelligitur de singulis anni diebus, exceptis tribus ultimis feriis majoris hebdomadæ: multi tamen DD., quibus adhæret Gobat, censent conditionem et clausulam istam esse civiliter intelligendam: putà ut regulariter et de ordinario tot missæ celebrentur, licèt per accidens ratione morbi aut alterius impedimenti uno, vel altero die numerus iste missarum non expleatur, nam clausula: *dummodò celebrentur*, idem significat, ac verba ista: *dummodò soleant celebrari*.

Circa hanc quæstionem omnem dubitandi locum sustulerunt responsa Cong. Concil. ex mandato Clem. XI. ad sequentia dubia 30. Julii 1701.

«I. An absentibus religiosis, ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ et Adventus, vel quando occasione festivitatum, vel funerum aut similibus à Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentiæ concessæ cum certo numero missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus missarum non fuerit adimpletus, sint suspensæ, vel potiùs remaneant in suo robore.

II. An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero missarum ob infirmitatem sacerdotum, tam regularium, quàm secularium.

III. An pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero missarum ob absentiam ab Ecclesiis secularibus canonicorum et sacerdotum per aliquos dies et menses.

Ad primum, quoad primam partem pro tempore Adventus et Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodò rarò contingat.

Ad secundum, remanere suspensas.

Ad tertium, provissum in primo.

Tempore Jubilæi Indulgentiæ Altaris, et aliæ quælibet pro defunctis concessæ non suspenduntur, ex decreto sac. Cong. Indulgentiarum 24 Jan. 1700.»

Altar privilegiatum quotidianum in perpetuum concessum est omnibus Ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus à Benedicto XIII. Constitut. *Omnium saluti* 20 Julii 1724.”

4.º His, aliisque necessariis observatis, sequitur effectus Indulgentiæ plenariæ, scilicet liberatio animæ è purgatorio: quamvis multi graves Theologi dicant effectum istum non esse infallibilem sicut infallibile est, sacrificium missæ omninò prodesse animabus in purgatorio. Ex hac aliisque causis, pium et laudabile est pro eadem anima pluries sacrificare ad altare privilegiatum: et generaliter, juxtà Decreta Clementina et Innocentiana, tot missæ celebrandæ sunt, quot oblata fuerunt stipendia. Per hoc tamen non intendo reprobare illam sententiam, quam docent magni TT. Cajet., Can., Sot., Viquer., et sequitur Vasquez. *tom. 3. in 3. p. disp. 231. cap. 2. et seqq.*, quod unum missæ sacrificium oblatum, v. g. pro 100 animabus, tam multum prosit singulis, quàm si pro una sola ex illis 100 offerretur, dummodò tot missæ celebrentur, quot ab offerente eleemosynam præscriptæ fuerint.

225. Q. VI. *Quid sentiendum de Indulgentiis realibus, quæ Crucibus, coronis, numismatis, et ut vocant, medallis affixæ sunt?*

R. 1.º Qui tale medallium habet, lucratur in festis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis B. V. M., in natalitiis Apostolorum, in festo S. Josephi, S. Joan. Baptistæ nati et SS. Omnium Indulgentias plenarias, dummodò confessus et S. Eucharistia refectus consuetas preces persolvat 7 vel 5 *Pater*, et *Ave* aliasque in Decreto Clem. XI. et Innoc. XIII. expressas: et quamvis formulam harum Indulgentiarum à dicto Innoc. XIII. in unam formam reductarum præ manibus habeam impressam typis reverendæ Camere apostolicæ, tamen, quia prohibet Sanctitas sua hanc Indulgentiarum formulam imprimi extra Urbem, huic præcepto parere malo, quàm formulam istam hic annectere.

2.º Circa intentiones, seu ut vocant benedictiones, v. g. dum Papa dat alicui mille Indulgentias inter alios distribuendas, sublata videntur plurima DD. dubia circa applicationem et delegationem potestatis, de quibus agit Pasqualigus Gobat *Oper. Moral. tom. 1. p. 1. tr. 4. c. 11. et par. 2. c. 27. numer. 678.*, ubi priorem doctrinam revocat propter decretum Alexandr. VII; nam in fine formulæ Innocentianæ ju-

betur observari decretum Alex. VII. incip. *SS. Dominus noster* 6 Feb. 1657, quo statuitur, ut medallæ Indulgentiis donatæ, non transeant personam illorum, quibus à Sanctitate sua concessæ sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur. Et quamvis expressè nec in Decreto Alexandri, nec in formula Innocentii sermo sit de intentionibus seu potestate applicandi Indulgentias certis numismatibus, tamen sapientissimi quique viri conformiter stylo Curie romanæ, decretum istud intelligunt de memoratis intentionibus, quæ ex fine suo censentur comprehendi sub medallis, ut omninò idem sit de illis sentiendum. Ac—I. quidem, qui pro se à Papa accepit crucem vel medallium cum Indulgentiis, nequit hoc medallium cum istis Indulgentiis transferre in alterum.—II. Qui plura medallia accepit inter alios distribuenda, his tantum, quibus distribuit, prosunt, et eorum personam non egrediuntur.—III. Qui accepit intentiones mille, vi quarum affigere possit Indulgentias mille numismatis, per se Indulgentias istas applicare debet, neque potestatem istam subdelegare poterit; quia potestas ista, sicut in medallis, personam dantis et accipientis non egreditur; et consequenter si non ipse, sed alius id faciat, tertius, qui numismata accepit, nullas indulgentias habet. Hæc doctrina, utpotè securior in praxi tenenda est; et ideo cit. P. Gobat dicit se non voluisse accipere intentiones à Patribus romipetis, qui multa millia intentionum à Papa acceperunt.

Dices: Accepi, v. g. à quodam amico Romæ existente mille numismata cum Indulgentiis; mihi sufficit unum; quid cum ceteris faciam? si aliis dederò, nihil ago, quia adversatur Decretum Alex. et Innoc.; ergò tot numismata frustra mihi mittuntur. Similiter accepi mille intentiones; ego pauper religiosus, mille cruces aut medallia non habeo, ut eis Indulgentias affigam, quid cum residuis agam?

R. I. Si numismata petita sunt nomine meo, censentur mihi immediatè à Papa data; et cons. tuto ea distribuere possum inter alios; quia hæc potestas mihi data est à Papa: hi verò, quibus dederò, ulterius dare non possum. At si amicus ille nomine suo numismata accepit, etsi mihi mille mittat, personam meam non transgrediuntur, ut statuitur in *cit. Decret.* Hoc tamen verum esse judico, quòd, si ego, ut nudus minister et exequutor numismata ista accipiam, et nomine illius, qui immediatè à Papa accepit, ea aliis distribuam, omninò cum numismate Indulgentiæ transeant ad accipientem. Idem dicendum erit de intentionibus, si ego, ut purum instrumentum nomine alterius, qui à Papa accepit, Indulgentias medallis applica vero: licèt, ut dixi, multò securius sit, ut quis Romæ nomine meo intentiones vel medallia à Papa petat; quia tunc nullum est periculum deceptionis.

226. Q. VII. *An Regulares lucrentur in suis Ecclesiis Indulgentias Stationum urbis?*

R. Affirmativè; sed tantum pro illis diebus Stationum, qui in Misali Romano sunt descripti: ità declarat Innoc. XI. in Decreto Sac. Congreg. incip. *Delata* 1678, die 7 Martii; ex cujus §. *fin.* emendabis

Scriptores has Indulgentias ampliandas ad singulos dies. Quo non obstante, Regulares excitandi sunt, ut in suis Ecclesiis quotidie pro lucrandis Indulgentiis consuetas preces persolvant 7 vel 5 *Pater*, et *Ave*, vel 6 *cum totidem Gloria Patri* etc., quia singulis diebus per pia ista opera ex immenso Indulgentiarum thesauro aliquid lucrari possunt; præsertim ex Indulgentiis Regularium, quæ ferè omnibus aliis Regularibus communicantur. Indulgentias plenarias Stationum Urbis lucrantur etiam seculares in Ecclesiis Regularium, sed cum conditione confessionis et communionis, ut ex Mari magno ab Innoc. VIII servus B. M. V. concessio; et contrarium, quod docuit Gobat, revocavit. Hoc privilegium notent confessarii, et peccatores; præsertim graviores; hortentur ad lucrandum has Indulgentias diebus Stationum Urbis in Missali descriptis. Præterea Regulares habent Indulgentiam plenariam in die assumpti habitus, professionis, dum primam missam celebrant, vel confessi, et communione refecti ei intersunt, dum vacant exercitiis spiritualibus per decem dies; et plures alias ex Const. 21 Pauli V. *Romanus Pontifex* 1606, die 23 Martii: quæ Indulgentiæ substitutæ sunt in locum abrogatarum.

Plura de Indulgentiis vide in Bellarmino, et præ ceteris in P. Gobat, non solum scientia, sed et humilitate insigni, qui *Tract. 4. de thesauro Indulgent.* multa emendavit in posteriori editione; quæ, cum sint facti, etiam prudentissimum et sapientissimum fallere poterant, juxta Neratium *l. 2. ff. de J. et F. Ignor.*

TITULUS XXXIX.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS. ^a

227. Hæc Rubrica, utpotè nigro strictior, amplianda est ad sententiam suspensionis et interdicti, sicut *in 6. hoc tit.*, ita ut, sub ea contineantur omnes pænæ medicinales ab Ecclesia præscriptæ.

Agetur hic:—1.º De censuris in genere.—2.º De singulis in specie.—3.º De cessatione à Divinis.

^a—Agitur de hac materia in Sexto, Clem. Extravag. Joann. XXII: Extravag. com. *h. t.*—Decreto 9. q. 1. et 11. q. 1. et 24. q. 1. 2. 3.—In Trident. sess. 14. c. 1. et sess. 22. c. 41. *de reform.* et sess. 24. cap. 9. *de reform. matr.* et ses. 25. c. 12. et 18. *de Regg.* et c. 19. *de Reform.*

§. I.

De Censuris in genere,

228. *Nota I.* Censuram à *censendo*, seu corrigendo dictam, in jure Can. definiri: Pœna medicinalis homini baptizato delinquenti et contumaci inflicta, privans illum usu quorundam bonorum spiritualium: ita in re com. Dicitur:—1.º *Medicinalis*, quia censura per se et primariò ordinatur ad correctionem et sanationem delinquentis, et tantum secundariò ad punitionem.—2.º *Contumaci*, quia censura ex natura sua fertur ad frangendam contumaciam seu inobedientiam illius, qui scienter contra legem Ecclesiasticam peccat: et ideo ab ignorantibus non incurritur (*cap. fin. de constit. in 6*)—3.º *Quorundam bonorum spiritualium*, quia censura primariò privat bonis spiritualibus; non quidem internis, quæ potestati Ecclesiæ non subjiciuntur, uti gratia, fides etc.; sed externis, puta actionibus et ceremoniis spiritualibus, ut sacramentis, sacrificio etc.: et secundariò bonis quibusdam temporalibus, ut convictu et communicatione cum aliis, ut infra dicetur de effectu cujusque censuræ.

Nota II. Censuram dividi:—1.º In latam à *jure*, quæ à sac. Canonibus exprimitur; et latam *ab homine*, quæ ex arbitrio judicis Ecclesiastici infligitur.—2.º In censuram *latæ sententiæ*, quæ ipso facto incurritur à delincente absque ullo ministerio judicis; et *sententiæ ferendæ*, quæ licet à jure statuta sit, non tamen prius incurritur nisi per sententiam condemnatoriam à iudice prolatam. Agnoscitur censura latæ sententiæ ex verbis indicativi modi: *excommunicamus, suspendimus, qui secus egerit, noverit se excommunicatum, vel ipso jure et facto excommunicationem incurrat* etc. *Ferendæ* verò *sententiæ* ex verbis futuri temporis et modi imperativi, quæ plerumque significant aliquid ministerio judicis infligendum, v. g. *excommunicabitur, suspendatur, prohibemus sub interdicto, vel sub pœna excommunicationis* etc.—3.º In *validam*, quæ nullo substantiali defectu laborat; et *invalidam*, quæ aliquo substantiali defectu laborat: item in *justam* et *injustam*.—4.º Tres species sunt censuræ: *Excommunicatio, suspensio, et interdictum* (c. 20. *de V. S.*) Unde inter censuras non ponuntur: *cessatio à divinis, irregularitas, depositio* et *degradatio*.

Quæretur hic de causis censurarum, earumque absolute.

229. Q. I. *An, et quis possit censuras ferre?*

R. 1.º Ecclesia seu prælati Ecclesiæ possunt censuras ferre: ita Catholic. ex generali potestate à Christo data *Matth. 16.* et *18.*, qua potestate usi sunt Apostoli, sicut S. Petrus excommunicando Simonem